

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M DC LXXXII.

MISCELLANEORUM HISTORICORUM

Regni Bobemiæ Decadis I. LIBER II. qui de Bobemiæ Populo, & veteribus ac novis Incolis solide & nervose disputat, &c. Authore

BOHUSLAVO BALBINO, e Societate Jesu.

Pragæ, M. DC. LXXX.

nec non

Ejusdem Decadis LIBER III, qui fines & terminos

totius Bobemiæ, tum ipsorum Districtuum figuras, arces, oppida,

& urbes complectitur, &c. Autore Eodem.

Ibid. M DC LXXXI. in fol.

UT primo Libro hujus Operis exposita, e quibus nonnulla pro- *Act. pag.*
ximis Calendis delibavimus, contemplationi rerum natura- *241. seqq.*
lium maxime inserviunt: ita dissimulandum non est, iis quæ
hoc SECUNDO libro de variis variarum gentium migratio-
nibus adducuntur, Historiam antiquiorem, non Romanam modo, sed
Germanicam quoque, Gallicam, imo Græcam, & Anglicam non pa-
rum illustrari.

Nam initia Gentis suæ prima proditurus Autor, 'per distinctas
incolarum classes procedit, in quarum una Bojos, media cum Her-
munduris Marcomannos, & ultima Czechos videtur collocasse. Pri-
mam quod concernit, ipsius *Bobemiæ* nomen docet a *Bojis* esse na-
tum, Galliæ Celticæ populis, sed tum non minus ac Gallia tota (præ-
ter Romanorum Colonias diu post deductas) Teutonico veteri ser-
mone utentibus; & *Boyheim* nihil Germano sonare aliud, quam quod
Bojorum patria Latino. Inde quæ ad antiquissimæ Gentis gloriam
pertinent, persequitur. Nempe 1) audaciorem & ferociorem ex
Bojis Hercyniensibus sobolem una cum Trocmis ac Tectosagis e Bojo-

Ll

hemo

homo exiisse, & Pannonia primum, deinde Thracia, Græcia percursis & pervastatis, Asiam ingressos, denique in Æolide & Jonia, plurimis cladibus illatis & acceptis confedisse, ibidemque Gallogræcorum gentes fundasse. 2) Cimbros, gentem Romanis formidatam ante, quam aggredi Romanos statuissent, Hercyniam sylvam, sedesque in ea Bojorum ad habitandum intrasse, sed rejectos fortiter, alias quæsiisse terras; quod prælium uberius expositum habes Libro sequenti. 3) Hæduis, vel Æduis adversus Jul. Cæsarem auxilio venisse Bojos, & hac e gente ortum postea Borbonios traxisse. 4) Bojos ex Bohemia Bojariis, seu Bajoariis & Bavaris dedisse originem, eosque veterum Bojohemorum quandam esse coloniam: id quod *Velferi*, *Brunneri*, *Adelzreutteri*, & *Cluverii* autoritate ita firmat, ut novum simul errorem Scriptoris, Suevos cum Hermunduris confundentis, evellat.

c. 21. §. 1.
fol. 241.

Ad secundam delatus classem, Bojos a *Marcomannis*, duce Maroboduo, ex vetusta Sueviæ nobilitate orto & Romæ educato sub Augusto, Bohemia ostendit esse pulsos: & ubi de Maroboduo hujus Regia in Hercynia sylva, de Marcomannorum post Ducis sui ad Romanos fugam gestis præcipuis & cladibus, quæ ratione eorundem reliquæ per Attilæ regnum deletæ fuerint, disseruisset; Marcomannos non Slavicam (ut in *Speculo Moravia* voluit *Paprocus*) sed Suevicam eoque Germanicam fuisse gentem, ex *Strabone*, *Tacito*, *Eutropio*, *Ptolomeo* ejusque Commendatoribus; ex *Velfero*, *Cluverio*, *Cromero*, *Goldasto*, *Curæo*, *Dalecampio*, *Voburgio*, & *Dressero* nostro planum facit, iis, quæ regeruntur a parte diversa, rejectis & solutis.

Postrema classis incolas contemplaturus, initio majores suos, Slavicæ gentis originem inde a Babelica turri deducens, adversus Æneam Silvium defendit, cum quod Slavica lingua omnino primigenia, & inter duas illas & septuaginta Orbis universi linguas habeatur, tum quod idem fecisse probro non vertatur nationibus cæteris. Deinde Slavicorum populorum, quales *Bulgari*, *Sorabi*, *Roxolani*, *Moscii*, & *Venedi* fuere, primas sedes explicat, eosque ex Sarmatia Asiatica & Europæa in Europam interiorē ascendisse ait; Venedos præcipue tribus immigrationibus, quarum maxima circa Attilæ tempora acciderit, in Germaniam interiorē penetrasse. Hinc de Czechi & Lechi Slavorum Principum, in Bohemiam adventu agit, & refutata *Petri Codicilli* sententia, de Aureolo Tyranno a Czecho & Lecho apud Illy-

rios interfecto, magnum adducit Autorum cumulum, de ætate Czechorum, quove tempore in Bohemiam is advenerit, statuentium. Quo etiam loco observat, grande necessario meritum in gentes Slavicas (quæ postea per Bohemiam, Poloniam, totque late provincias sese effuderunt) fratrum Czechorum & Lechorum extitisse, propterea quod abolito seu Vendorum, seu Sarmatarum, seu Slavorum, aut alio quocunque nomine, Czechitas & Lechitas appellari se voluerint; illudque amoris ipsorum Ducum, mitissime summa populi voluntate regnantium, aut quod commode ingentia auxilia adversus vicinos Germanos genti suæ attulerint, aut quod lectissima nobilitate stipati advenerint, & Bohemiam atque Poloniam generosa ista sobole impleverint, aut quod patriam ab hostibus purgarint, aliove nomine bene mereri de patria studuerint, datum fuisse existimat.

Reliqua pars Libri, 1) *ἀποκρίων* sive confutationem eorum, a quibus diversum sentit Autor; novitii maxime Scriptoris, qui gesta Wandalorum adscripserat Czechorum genti, Czechitas statuens ortos a Wandalis, & *Vandalo Bohemos* nominans; quique Venetias a Wandalis conditas fuisse, Vindelicos a Wandalis produisse, & alia id genus paradoxa asseruerat; 2) *ἀνακεφαλαιώσιν*, & summam eorum, de quibus disputatum hucusque fuit, articulis distinctis octo comprehensam: 3) Dissertationem, Autoris historię parallelam, de Originibus Boemorum seu Czechorum, ab *Andrea Stredonio S. J.* consignatam, & a Dn. Balbino nuper repertam complectitur.

TERTIUS Miscellaneorum Liber Topographicus atque Chorographicus inscribitur, & totam argumenti, in quo versatur, vim si spectes, sex potissimum partes continet. *Prima* Bohemię *fines* cum Septentrionales, tum Australes & Occidentales determinat, decisa prius (ex aliorum sententia potius, quam propria) quæstione, an Bohemia Germaniæ & Imperii Germanici provincia & pars sit, & num ad Imperium Germanicum referatur? Ac ne quis pristinos fines confundat cum hodiernis, Misniæ & Lusatię partem aliquam docet olim in Bohemia fuisse censam; nominatim Zittaviam & Görlitium: Bohemię fines ultra Comitatum Glacensem usque Wartam, & Camentium quondam extensos: item procul in Austriam, & in Palatinatum usque Noribergam, & in Bavariam: Marchiam vero Brandenburgicam nunquam fuisse Bohemię partem, licet eandem quandoque Reges Bohemię

miae, aut eorum regia familia, vel donationis, vel oppignorationis, vel emtionis titulo tenuerint.

Secundam argumenti partem constituunt *Bohemiae Regiones*, seu ut nunc vocant, *Districtus* quatuordecim numero, præter Comitatum Glacensem, Territorium Egrense, & territorium Cubitense; nec non *Urbes, Oppida, & Arces*. *Districtus* ita percurrit, ut fines singulorum describat, urbes eorum præcipuas, civitates, & oppida nominet (memorabilia quæ in istis sunt, alteri reservat loco,) suam cuique figuram assignet, memoranda in provinciis, quæ commendari dote mercantur, magna diligentia exponat. Ad Bohemiam coronam vero cum Glacensis quoque Comitatus pertineat, peculiaris de eo tractatio nunc subjungitur, qua, præter iudicium de *Georgio Æluro* dicti Comitatus Historico, prolixius de Glacii fundatore, titulo Urbis imperialis, (quem ei ex Diplomate quodam Henrici I. Aucupis tribuerat Ælurus; sed subreptitium & confictum illud ipsum esse, signis non obscuris Balbinus evincit) Dominis; de Comitatus hujus clypeo, terminis, hominum copia (quos inter oppidanos Levinenses adeo tornandi artificio testatur excellere, ut uno in cerasi nucleo duodecim duodenas cochlearium spectandas exhibere, & uni pixideculæ apis magnitudine 24 cochlearia elegantissimo artificio distincta includere valeant) Nobilitate, religione, Capitaneis, & Præpositis Cœnobii S. Mariæ in monte Glacensi, differitur: Accedit præterea succincta descriptio Silesiæ non minus hodie ad Coronam Bohemiam spectantis, cum censura de Silesiæ Historicis *Curæo, Schickfusio, Polio, & Henelio* Silesiographia quondam edita, & Breslographia claro.

Jam velut ex peregrinatione Glacensi & Silesitica in Bohemiam reversum, de *Urbium & Oppidorum* calamitatibus, quantamve populi Bohemici stragem proxima bella ediderint, conquerentem videas, adeo, ut status pristini & hodierni contentione, nec non locorum, & facultatum ex tabulis publicis & indicibus inductione facta, hodie sese nec umbram quidem veteris Bohemiam tenere fateatur. Ab *Urbibus* progreditur ad *Arces*, & earum multitudinem in Veteri Bohemia ex *indiculo Wenceslai Hagecii* partim, partim ex indiculo proprio recenset, ut districtum & distantiam ab urbe Praga singulis apponat. *Arcium* tamen nimia etiam multitudine (Rudolfinis adhuc temporibus toto regno centum viginti quatuor munitas habuerunt,) & quod

nonnullæ earum a latronibus insiderentur, offensum olim Carolum IV scripto exercitu, quasdam obsessas tradit occupasse, prædonum duces in crucem egisse, arces dejecisse. Tum de quæstione, utrum expediat, quamplurimis arcibus, aut contra nullis, vel paucis tantum, patriam communire? quid sentiat, aperit. Tandem & Castrum S. Wenceslai, seu Arcem Regiam Pragensem, quæ arcium omnium per Bohemiam principatum obtinere fertur, cum partibus suis, quales sunt: Basilica Metropolitanæ Pragensis Ecclesiæ, cum interius, tum afforis plurima memoratu dignissima curiosis oculis ostendens, Habitatio Regia, Regii horti, & hos inter erecta Domus, quam Mathematicam appellant, Regis Wladislai Palatium, & alia pro cujusque dignitate describit.

Ad tertiam partem *Opera publica* retulit, Pontes, Basilicas & Templâ celebriora, Palatia, Cœnobia, ædificationes sumtuosas, verbo: quicquid memorabile Bohemorum telluri inhæret arte & labore hominum perfectum. Non postremum inter ea locum habent: Pons Pragensis super flumen Muldavam stratus ex quadrato saxo, & 18 fornicibus constans, vel hoc nomine cum Londinensi ripas Tamisis jungente comparandus: Templum S. Barbaræ Kuttenbergæ, quod una & septuaginta columnis sustinetur, ut ejus ichnographia docet, peculiari tabula expressa: Turris in memorato ponte, qua ex veteri in minorem Pragam iter est, conspicua, quæ una ab hostibus Suecis Antiquam & Novam Pragam servasse perhibetur: Turres aquariæ Pragenses, e quibus aqua insigni artificio, certis in altum canalibus elata, rursus in canales alios refusa, ac ponderibus depressa, per omnia urbium fora, compita, & domos dispensatur: Ambitus in Monasterio Aulæregiensi, in cujus olim lateribus Vetus Novumque Testamentum ab initio Genesios ad Apocalypsin Joannis literis majusculis in tabulis scriptum continebatur, notis quo altius irent, paulatim crescentibus, ita ut a summo usque deorsum facilis lectio præberetur, ut Æneas Silvius autor est: Subterraneus meatus seu cuniculus Praga usque ad pagum in Arcis Regiæ Pragensis conspectu Bubenez excisus: Horologium Curia antiquæ Urbis Pragensis, non aliquam modo diei aut noctis horam, sed diem quoque, mensem, annum, Solis & Lunæ ortus, siderum omnium cursus, signa Zodiaci, Lunæ ætatem, aureum numerum, Cyclos, quodque mireris, Festa per annum præcipua

pua indicans; unde & dignum habitum Autori, quod cum singulis partibus hoc loco & historice, & mechanice describeret, deque cujus præstantia & arcanis tractatum *Joannis Taborsky* Mathematici summam infereret: Machina denique supra argenti fodinas Przibramenses posita, quæ aquam fodinas mergentem & omnino merfuram, rivuli cujusdam beneficio, die nocteque nunquam interrupte extrahit ab imo, exantlat, aliumve in locum effundit: delineatam cum partibus suis habes fol. 165.

Quarta libri parte, Subterraneorum operum, quæ paulo ante adduxerat, occasione de variis agit Thesauris in Bohemiæ solo hinc inde reconditis, expressis civitatum quarundam & arcium, in quibus latere credantur, nominibus, causisque ejus rei non improbabilibus allatis; pro thesauro tamen carbones inventos aliquando fuisse, proprio suo comprobat exemplo. Inde & Spectrorum, v. g. Albarum, Dominarum, in ditioribus Rosenbergorum & Novodomensium, Procerum, & alibi non raro apparentium; Bohemorum veterum arte Magica insignium; hominum e sepulchro vel ex media morte surgentium (ubi & cultri a Bohemo devorati rustico, & incisione extracti, figura sistitur,) præfagiorum item atque præstigiarum aliquot exempla, ut alia de veterum Bohemorum habitu, cultu corporis, linguæque conservandæ studio jam omittamus, proferuntur.

Quintum membrum enumerat nobis prælia, in Bohemica tellure (nam quæ a Bohemis gesta fuerunt alibi, Autor jam non persequitur,) commissa quamplurima. Tametsi enim in Chorographica Bohemiæ tabula, sub titulo, *Rosa Bohemia omnibus seculis cruenta*, a sese olim edita, octoginta solum præliorum mentionem fecerat; nunc tamen esse adhuc ostendit longe plura; nec tantum catalogum centum & septuaginta septem præliorum recenset, sed in causas inquirit quoque, unde tanta bellorum seges in hoc regno florentissimo proveniret.

Postrema parte Apologia pro gente Bohemica continetur adversus *Melchiorum Goldastum*, & *Petrum Ribaldum Peruanum*; quo ficto sub nomine *Michalem Pieczek*, civem Novæ Pragæ Satyricum latere, indicio nobis est Balbinus. Neque satis is esse arbitratur, Goldasti asserta de Regni Bohemiæ juribus refellisse, nisi & injuriis objectis aliorum clarorum Virorum, *Georgii Fabricii*, *Marquardi Freheri*, *Gasparris*

sparis Dornavii, Antonii Bonfinii, Hieronymi Balbi, Pii II &c. præclara de vetere Bohemia testimonia & encomia reponat.

Cæterum *Mantiffæ & Additamentorum* titulis quæ duobus hæc libris, post eujusque indicem, reperiuntur annexa, ad Librum I Miscellaneorum spectant. Siquidem non alia, quam quæ de rebus Naturalibus Bohemiæ suggesta Dn. Autori ab Amicis Virisque doctis fuerunt, iis ipsis referuntur; nisi quod circa Additamentorum finem occurrant & Paralipomena quædam ad aliquot capita Libri Tertii.

Daniel Georg Morhofen Unterricht von der Teutschen Sprache und Poesie / deren Ursprung / Fortgang und Lehr-Sätzen. Worbey auch von der reimenden Poeterey der Ausländer mit mehrern gehandelt wird. Kiel / 1682. in 8.

DANIELIS GEORGII MORHOFII

Disquisitiones de Germanorum lingua & poesi, earumque ortu, progressu & legibus. Ubi simul de aliarum gentium rythmica poesi differitur. Kilonii, 1682.

Cum de Latinorum lingua & poesi multi commentarios scripserint, poesin etiam Germanicam quidam in artem redegerint, ac certis legibus adstrinxerint, deque lingua Germanorum diversorum Autorum extant monumenta: nullum tamen præstantiori ingenio, ac majori eruditionis rariorisque doctrinæ copia conditum fuit hoc opusculo: quod vernaculo idiomate scriptum Germanicis suis Poematibus in unum collectis fascem, & Kilonii hoc anno editis, præmisit doctissimus Morhofius, Latinorum etiam Græcorumque carminum venustate nulli Poetarum secundus. Ac magis quidem & justum Opus *Originum Germanicarum*, in quibus linguæ & verborum Germanorum origines fuse & explicatius sit deducturus, se moliri; *artem etiam Poeticam Germanorum* peculiari Opere Latino se traditurum in Præfatione indicat: quorum Operum liber hic specimen velut sit, unde prægustum capere liceat.

In tres istum divisit partes; quarum *prima* de Germanorum lingua, *altera* de eorum poesi & poetis, *tertia* de arte poetica eorundem agit.

agit. In *prima* antiquitatem & excellentiam linguæ Germanicæ ostensurus, eam si non Hebraica, Græca tamen & Latina antiquiorem esse, & has isti originem debere, tum in peculiari Dissertatione, quam *de novitate Græcæ & Latinæ linguæ* editurus sit, se ostensurum promittit; tum hoc ipso in loco probat ex eo, quod Græci & Latini philosophiam & linguam, vehiculum scientiarum, a Barbaris acceperint: Barbarorum autem nomine Scythas ac Celtas venisse seu Gallos, quorum lingua vetus cum Germanicæ eadem sit; quod ex plurimis verbis, quæ utrique genti communia, sola dialecto discrepant, ostendi possit, & quibusdam exemplis ipse docet. Cumque vetus Germanorum lingua ad complura Asiæ loca, inque ipsam Persiam antiquissimis temporibus penetrarit (docente id infinita vocum copia utrique linguæ communium, verbis item similiter terminatis eodemque modo compositis, quod observarunt Lipsius, Salmasius, Bochartus, Mylius, Burtonus, Piccartus & Jo. Gravius) in Ægypto etiam, Arabia, & ipsa America quarundam vocum a Germanis acceptarum, & ab his eo derivatarum vestigia deprehendantur: probabile omnino esse, Germanorum linguam ætate illas posteriores antecellere; Græca quidem & Latina vetustiore esse, ab eo demum recte intelligi qui veteres Græcorum & Latinorum voces e Fragmentis & Glossariis depromtas cum prisicis Gothicis, Runicis, Anglo-Saxonicis, Cimbricis, Francicis & Hispanicis vocabulis contulerit, nec hodiernarum per universam Germaniam receptarum dialectorum fuerit imperitus. Eum enim deprehensurum, plurimas Græcarum Latinarumque dictionum radices in veteri Saxonum, Westphalica, Cimbrica, Pomerana, Megapolitana, Belgica, Danica, Norvagica, Suecica, & cum primis veteri Gothica lingua latere. Has autem acceptas fuisse a Græcis & Romanis, non solum Dionysii Halicarnassensis testimonio adversari, qui sub finem Lib. I Romanos linguam sibi adsumpsisse ait, quæ nec tota Græca, nec tota Barbara, ex ambabus vero commixta sit: sed e veteribus quoque Latinorum vocabulis in Osca, Volscæ & Tusca lingua usurpatis contrarium apparere, quæ quo vetustiora, eo Germanicæ linguæ sint propiora. Varroni & Festo nullam in Originibus linguæ Latinæ habendam esse fidem, quippe qui sæpe fallantur, communi vitio plerorumque, qui ingentis suæ lingua tradenda turpiter labuntur. Statuit ergo cum Salmasio & Boxhornio, fontem genuinum Europæarum linguarum veterem

Scythæ

Scytharum linguam esse, e qua primigenia Germanica Gothicaque sint ortæ, quibus Græca & Latina originem debeant. Quo simplicior enim & rudior lingua sit, eo antiquiorem esse; expolitam contra & omnibus numeris absolutam notæ recentioris habendam. Monosyllabas etiam vel paucarum syllabarum voces antiquitatem linguæ & velut radices prodere; recentiorem putandam eam, quæ vocabulis polysyllabis abundat, adjecta flexione & terminatione commoda ablandiente auribus, numerumque & rythmum orationi conciliante. Germanica autem & Scythica cum simplex ac rudis, & omnis elegantia ac dignitatis expers sit; Latina & Græca contra politiorum ac elaboratarum speciem præ se ferant, polysyllabis insuper abundant, in iisque una vox interdum ad sex vel septem excreverit syllabas, & longi firmatis appositione sibi aliquam acquisiverit majestatem, facile cuius constare, utra harum habenda sit antiquior. Derivationes autem Latinarum, Græcarum, aliarumque linguarum e Germanica veteri Gothicaque, in literarum mutatione consistere, quæ vel additione, vel detractio, vel transpositione, vel permutatione instituta sit. Additionem vel in initio vocabuli per prosthesin, vel in medio per epenthesein, vel in fine per paragogen; Detractionem æque vel initio per aphæresin, vel in medio per ecthlipsin, vel in fine per apocopen fuisse factam. Quorum modorum complura exempla affert, & peculiari capite vocum, quibus partes corporis humani & brutorum apud Latinos & Græcos signantur, e Germanica lingua derivatarum rationem ostendit.

In altera parte Poeseos Germanorum originem & progressum exponit, præmissa tractatione de aliarum gentium poesi rythmica; ut cognoscatur, utrum hæ Germanis forte priores poesi excoluerint, seu nonnullæ gloriantur, utrum istis inventionis versuum rythmicorum gloria tribuenda sit. Ac in primo capite de Gallorum agit poesi, tum prisca, quam Poetæ Aquitani & Provinciales, ut Eustachius, Arnaldus Daniel, & complures alii excoluere, quos Jo. Nostradamus & Claud. Fauchetus peculiaribus libris, Verderius item in Bibl. Gall. recensuerint: tum recentiori, quam a Clemente Marotto conditam plures, quos nominat, excoluerint: tum hodierna, quam ad summam gloriam evexerint præstanti ingenio ac eleganti eruditione conspiciui viri, Franc. Malherba, Theophilus, Victurius, Scuderi, Regnerig,

M m

Rablai-

Rablaifius, Sorbierius, Menagius, Capellanus, Pere le Moine, Godeau, Saint Aymant, Desmarests, Les fargue, Corneille, Moliere, & alii, qui videri possunt enumerati in Sorelli Bibl. Gall. & Coleteti de Vitis Poetarum Opere, quod laudat Menagius Observ. ad Malherb. pag. 429. Secundum caput *Italorum* poësin a Gallis ortam & per certas velut ætates distinctam recenset. quarum prima a Dante, Petrarca, & Boccaccio ad florem perducta sit; adultior Bembum, Casam, Tassum, Colonnam, Sarrochiam, Sannazarium, Ariostum, Cagnolum, Burghesium, Guarinum, Marinum, Chiabreram, Pretum, Testum; ultima plures recentiores tulerit, de quorum poematibus differitur. Tertium caput de *Hispanorum* poësi ejusque vitiis & autoribus haud vulgariter tradit, laudemq; huic genti adimit inventionis fabularum amatoriarum, Romans sive Romanzi dictarum, quam Casp. Barthius & Th. Spraat ipsis tribuerat. Poetæ autem istius gentis recensentur: Diego Ximenes, Quevedo, Gongora, Erzilla, Camoens, Silveira, Cervantes, Argensola, Lope de Vega, qui mille octingentas comœdias scripserit, Gaspar Lafo de la Vega, & Alph. de Ledesma. Quartum caput *Anglorum* poësin & poetas enarrat: ac veterem quidem Anglo-Saxonum linguam & poësin æque ac populum ipsum Germaniæ ortum debere, vetustissima autem apud eos carmina esse Ælfridi Regis, & Aldhelmi a quibusdam Richardi quoq; Backeri & Godfridi Chauceri poemata laudari tradit. Recentes poetas Abr. Covvley, John Donne, Cleveland. Edm. Waller, John Denham, Georg Herbert, Baconem Verulamium, Shakespeare, Fletcher, Beaumont, Ben. Johnson, Suckling, & Jo. Miltonum nominat de iisq; differit. In quinto capite de *Belgarum* lingua quæ cum Germanica veteri ferme eadem, ab hac certe orta est, & Poësi in isthac gente usitata agit. Veteres autem poëtæ (ut Anonymus ille, qui Chronicon Belgicum rhythmicum scripsit, a Jac. Eyndio in Zeland. Chron. sapius allegatus, & a Dusa editus) cum rudiores & absque omni arte fuerint, sæculi hujus poetas cultissimos extitisse, Jan. Doussam, Dan. Heinsium, Jac. Catsium, Const. Hugenium. Laudat hujus gentis ab hac arte plures: Jost van Vondel, Jan de Voss, (qui cum vitriarius esset & egregia poemata conderet, in suspensionem incurrit apud plerosque, ac si Barlaeus sub ipsius nomine ea scripserit) Hooftius, Henr. Westerbaen, Henr. Brunoos, Jo. Adolph. Dans, Mart. van Meervede, Jann van der Veen, Decker, Bodicher Banning

Dan. Ionctys, Anna Maria Schurmans, Anna Tesselscha, & complures poetæ alii, quorum ingenii monumenta ne intereant, peculiaribus Voluminibus v. g. de Zeeusche Nachtegael, Kliios Kraam, Apollos Harp, collecta extant. Postquam hæc ita de lingua & poesi exterarum gentium exposuisset, ad *Germanos* eorumque poesin se convertit, deq; ea tractationem capite sexto & seqq. suscipit. In tres autem ætates eam dispescit, in primam & remotissimam, mediam, & hodiernam. Quarum prima e carminibus veterum Germanorum, quorum Tacitus meminit, cujus verba minus commode ad Sueonum vetusta poemata trahantur a Rudbekio, noscenda sit: media a Caroli M. temporibus repetenda, qui & ipse cum filio Ludovico poesin excoluisse carminaque composuisse perhibetur, & ab aliis condita collegit: quem deinde secuti sunt Ottfridus, Willramus, Weinsbeck & alii, quos nominat Goldastus in Not. ad Paræn. & quorum multos se editurum, promisit Lambecius Syntagmate Rerum Germanicarum, cui immortalis est. Ad hanc ætatem referenda istorum etiam canticorum origo, quæ magistrorum (*Meister-Gesänge*) vocantur, & alia ludicra æque ac sacra rythmica scripta Germanica, Hugonis von Trymberg, Freydanck, Seb. Brant, Melch. Pfinsing, Burch. Waldis, aliorumque, quorum Agricola in Præfat. Prov. Germ. nomina recitat; libellus item, qui inscriptus est *Reinicke Boff* (de cujus autore & interpretibus differitur) & Rollenhagii *Froschmeusler*. Tandem huc referenda ait *Hans Sachsens* sutoris prius, inde ludimagistri Noribergensis poemata, quorum se ultra sex millia condidisse ipse profiteatur. De Septentrionalium poesi peculiari capite octavo differit. Ultimæ seu hodiernæ poeseos ortum ad Martini Opitii tempora referendum esse, sub quæ gloria Germanicorum carminum instaurata sit, & cultissima ea prodierint, autoribus Flemmingo, Werdero, Tscherningo, Colero, Gryphio, Hoffmanno, Casparo, Ristio, Dachio, Rolingio, Franco, Harsdorffero, Clajo, Schirmero, Betulio, Weissio aliisque; fœmineum quoque sexum huic se applicuisse studio aliquot exemplis, quæ inter illustre Henriettæ Catharinæ Gersdorffæ natæ Frisæ deus effulgeat, capite nono tradit.

Tertia parte de poetica Germanorum arte, ejusque modis & generibus fuse tractat: ac primo linguam Germanorū nequaquam barbaram esse, sed exultam inq; artem redactam & certis adstrictam regulis ostendit, eoque in loco de Grammaticis super hac arte editis libellis

bellis, dialectis item, orthographia, etymologia, & syntaxi linguæ hujus haud proletaria affert: deinde ad prosodiam delatus, copiosius eam exequitur, de accentu & quantitate syllabarum numeroque poetico accurate differens, rhythmicam autem poesin adversus Isaaci Vossii, Rolandi Marefii, & Slusii objectiones & criminationes defendens, ejusque præstantiam, antiquitatem, suavitatem, utilitatemque commendans: majoribus quidem difficultatibus & angustiis metrorum, quæ Latina & Græca poemata servant expositas esse leges ostendens. Hinc de origine poeseos rhythmicæ apud Latinos æque ac Germanos & alias gentes, tam ejus quæ ὁμοιοτελεύτοις versuum syllabis constat, quam quæ pari numero pedum & metro gaudet non habita syllabarum quantitate, differit: ubi de versibus leoninis eorumque autoribus & generibus, aliisque eundem in sonum desinentibus carminibus, & rythmi qualitatibus, haud alibi obvia in medium affert. Genera Carminum apud Germanos vel *pedum*, vel *stropharum* & *rythmorum*, vel *materiæ* ratione varia esse affirmat. Pro *pedum* diversitate in Iambicum, Trochaicum, Dactylicum, Anapaesticum, Alcaicum, Anacreonticum, & tot genera mixta seu composita ea abire, quot apud Latinos recepta sunt, ait: pro *stropharum* inæqualitate in Alexandrinum, Elegiacum, Sapphicum, Odas Pindaricas, Eccho, Sonnettas, Rondeaux, Madrigales, Stances, dividi: pro *materiæ seu objecti* varietate & inventionis (quam latius exequitur & peculiari se executurum Opere promittit) ratione distincta, in Heroica sive epica carmina, (quo loco de sic dictis Romans seu fictis heroicis libris eorumque origine & utilitate disquirat) Odas, Eclogas, Dramata, Satyras, & Epigrammata disperse docet, & de quovis horum carminum genere, quid in eo observandum sit ut ad dignitatem perveniat, qui præstantissimi Autores ejus extiterint, quæ Opera condiderint, quæ perierint, quæ materiæ cuius generi conveniant, quæ figuræ ea exornent, aliaque tradit quæ cognoscere utile non minus quam jucundum fuerit.

Sub finem libri cujusvis generis carminum pro diversitate metri & stropharum distinctorum exempla affert, ab *Henrico Schevio* composita, priores septendecim Horatii Libri I Carminum Odas germanicè exhibentia: quibus tres suorum *Germanicorum Poematum* partes gratulatoria, lugubria, sacra, profana complexas, subjicit, non habito ordine ætatis temporisve quo condita, aut argumenti quod tractantur

nempe non venustate solum, quam eximiam plane habent, dum nativam elegantiam minus affectatam anxieque quæsitam præ se ferunt, sed varietate simul Lectorum animos demulserunt.

		<i>Tempora Vera p.m.</i>	<i>Eclipsis Lunæ Greenovici prope Londinum observata, die 11. Februarii Anno 1682. a Johanne Flamsteedio Math. Regio.</i>	
		Confer pag. Actorum 109. 114. / //		
d.	h.	/	//	
				Lunæ Diameter ter observ. 6702=33 25.
11.	8.	1.	00	- Fumus in inferiore parte, nudis oculis
		48.	38	0. / //
				Limbus Lunæ remotus a Regulo - 8. 5. 20
		53.	07	- - - - - repet. 8. 6. 20
		55.	07	Limbus Lunæ remot. a lucid. in Lumbis Le- 14. 58. 15
9.	2.	34		onis - - - - - repet. 14. 57. 55
		4.	18	Limb. Lunæ remot. a Regulo repet. - 8. 12. 50
		8.	42	Umbrago.
9.	4.	08		Densa Penumbra.
		11.	44	Initium.
		12.	32	Medium Paludis Marcotidis.
		14.	02	Sexta Pars Peripheriæ obscurata.
		18.	10	Circinna intra Umbram.
		20.	10	Limbus primus Montis Cataractes, vel Gassendi Ric-
		21.	32	Oculus Draconis. (ciolo.)
		27.	58	Legebat Limbos primos Cretæ & Ætæ.
		28.	22	Ætæ totus tectus, Initium Insulæ Hieræ.
		29.	48	Initium Corsicæ.
		33.	46	Sinæ Mons incipit.
		36.	38	Sinæ medium.
		37.	32	Totus Sina tectus.
		38.	04	Centrum Lunæ, sive digiti VI.
		38.	48	Incipit Lacus Niger Majot.
		39.	58	per medium Besbici.
		43.	42	Initium Byzantii.
		46.	58	Incipit Hörminius.
		47.	22	

Mm 3

Car-

Tempora				
vera p. m.				
h.	/	//		
9.	47.	50	- - Carpathes.	
	48.	30	- - Serrorum mons.	
	50.	24	- - Apollonia, <i>Ricciolo</i> Plinius.	
	52.	44	- - Macra.	
	54.	26.	- - Mons Hercules.	
	59.	10	- - Corocondometis, <i>Ricciolo</i> Paulus Somni.	
10.	0.	38.	Tota Palus tecta.	
	2.	20	Incipit Mæotis.	
	5.	14	Umbra per medium Insulæ Majoris.	
	6.	54	Tota fere Mæotis tecta.	
	7.	28	<i>Sexta pars Peripheriæ</i> iterum.	
	10.	14	<i>Immersio.</i>	
	19.	21	Lunæ limbus proximus a Regulo	0. / //
11.	38.	6	Lunæ limbus rem. a regulo repet.	8. 13. 30.
	41.	48	- - - - - iterum	9. 23. 50
	41.	48	- - - - - iterum	9. 25. 35
11.	47.	38	<i>Emersio.</i>	
	50.	2	<i>Sexta pars peripheriæ</i> illuminata, cum Limbo primo	
11.	50.	42	Medium Mareotidis.	(Mareotidis, de
	51.	6	Tota Mareotis liberata.	
	52.	50	Umbra per medium Porphiritidis.	
	53.	34	Totus Porphirites.	
	58.	18	Circinna tota.	
12.	1.	0	Cataractes Sirbonis totus, vel Cassendus.	
	3.	20	Ætna incipit.	
	5.	18	Ætna totus reiectus.	
	7.	34	Creta.	
	13.	38	Sina incipit.	
	14.	28	Sinæ medium.	
	15.	34	Sina totus.	
	17.	34	Medium Besbici.	
	18.	28	<i>Centrum Lunæ</i> , sive VI digiti reiecti.	
	20.	50	Byzantium extra.	

Tempora		
vera	p. m.	
h.	/	//
11. 24.	24	Insula Apollonia tecta.
31.	38	Medium Corocondometidis.
33.	18	Mæotis incipit illustrari.
39.	06	Sexta pars Peripheriæ adhuc defecit.
42.	18	Insula Major Caspiæ tota.
45.	10	Dubius Exitus.
45.	38	Certus Finis.
Ante Initium Eclipsis observavimus distantiam Limbi proximi Mareotidis a Limbo Lunæ proximo 145=0'-43 $\frac{1}{2}$ ', & a Limbo remoto Lunæ Maculæ ejus- dem Limbi - 6575=3'2.48".		
		0 / - //
12. 52.	0	Limbus Lunæ remotus a Regulo.
55.	10	- - - - - repet.
		9. 58. 20
		10. 0. 10.

ANDRÆ ABBATIS BAMBERGENSIS
de vita S. OTTONIS Libri quatuor, nunc primum
ex Membranis Benedicto Camminensis Ecclesiæ Pontifici
inscriptis editi a Valerio Jaschio Pomerano,
SS. Theol. Lic.

Colbergæ 1681. in 4.

S. Otto, natione Suevus, ex inelyta Andechsiorum stirpe Comes, primum Judithæ, quæ Henrici IV. Imp. germana soror fuit & Boleslao Polonorū Duci nupsit, Capellanus, postea Canonicus Ratisbonensis, tum Henrici IV Cancellarius, & tandem Ecclesiæ Bambergensis Episcopus & Pomeranæ Gentis Apostolus, liberalitate, frugalitate, fundatis, instauratis, & amplificatis plurimis templis & monasteriis, nec non visionum & miraculorum fama clarus, & a Clemente III in Divorum numerum relatus, Historicis duodecimi, quo vixit, & sequentium seculorum, Helmoldo, Cranzio, Alberto Stadenſi, Gobelino Perſo-

Personæ, Conrado Urspergenfi, Nauclero, Paulo Langio, Trithemio & aliis haud ignotus est. Nec defuerunt, qui ejus vitam ex instituto enarrarent. Extant enim Anonymi Scriptoris, qui Ottonis in convertenda Pomeranorum gente comes ac socius fuit, libri tres de vita Ottonis, quorum Autorem D. Cramerus & alii Siffridum Ottonis Scribam fuisse existimant. Certe Siffridum hunc Ottonis vitam & res gestas literis tradidisse testis est Andreas Monasterii S. Michaelis prope Bambergam Abbas, qui se quatuor suos de S. Ottone libros ex Siffrido, & Tiemone, quem quinquennem Ottonis minulum fuisse memorat, & Ebbone, qui ex ore Udalrici Sacerdotis Ottonis vitam excepisse perhibetur, & Herbordo Scholastico, qui & dramatico carmine & soluta oratione Ottonis vitam persecutus est, consarcinasse haud dissimulat. Et hos Andreae Bambergensis de vita Ottonis libros primus in Divis suis Bambergensibus Jacobus Gretserus publicavit, & cum Anonymo illo Scriptore, prout apud Canisium T. II Antiqu. Lect. legitur, studiose in margine contulit, quos postea ex Gretsero etiam Surius inter probatas Sanctorum vitas ad d. 2. Julii collocavit. Verum cum L. Valerius Jaschius Consistorii Elect. in Pomer. Assessor, Ecclesiastes Marianus & Colleg. Schol. Colbergensis Rector, qui aliquot abhinc annis Vitam Ottonis ab Anonymo descriptam in compendium redegit, a M. Friderico Cramero Pastore Stetinensi antiquus & sincerius Andreae MSC. nactus esset, ut suum de patria bene merendi studium omnibus probaret, ex Membranis hactenus ineditis describi illud procuravit, & quantum partim cum Anonymo, partim cum Andrea-Gretseriano conveniret, aut quantum ab iisdem discreparet, diligenter annotavit, & appendice trium Diplomatum, nec non observationibus quibusdam & duplici indice, uno rerum, altero vocum barbararum & barbæ scriptarum illustratum, in lucem publicam emisit. Ad calcem observationum subjecta est digressio ad digressionis Gretserianæ caput præcipuum de fide ac doctrina S. Ottonis, quam Autor Apostolicam, sed nævis illorum temporum aspectam fuisse, breviter monet.

RESPONSIO VALEDICTORIA AD SECUN-
dam Sandii Epistolam, in vindiciis Nuclei sui Historiæ Ecclesiasticæ
conscripam, una cum Appendice de Cingallo. Per Samuelem
Gardinerum S. T. D. Londini 1681. in 8.

UT hæresin diu orco damnatam revocaret, incautosque falleret *Christophorus Sandius*, anno M DC LXXVI *Nucleum* (ut ipse vocat,) *Historiæ Ecclesiasticæ*, Coloniae (hunc enim locum frons libri inscriptum habet) publicavit. In quo, per omnia inde a Christo nato secula, magno molimine probare nititur, Arii dogma de Christo, fidei Catholicæ contrarium, in Ecclesia semper obtinuisse. Ab hac igitur blasphemii dogmatis infamia ut Patres Ante-Nicænos liberaret, vir eruditissimus *D. Samuel Gardinerus*, *S. Theol. Prof. & Regiæ Majestati Britannicæ a Sacris*, Ὑποτυπῶσθαι suæ, sive *Catholicæ circa SS. Trinitatem fidei delineationi, ex scriptis Patrum Ante-Nicænorum desumptæ*, anno insequenti annexuit *Responsionem brevem*, qua laudatos modo Patres contra ἐγκλήματα Sandii defendit. Quo facto, anno statim proximo MDC LXXVIII, Sandius *Appendici addendorum, confirmandorum & emendandorum, ad Nucleum suum*, ut vocavit, *Historiæ Ecclesiasticæ* editæ, subjunxit tres epistolas, quarum *Prima* ipsius est ad *D. Gardinerum* apologetica; *Secunda* *D. Gardineri* ad Sandium, in eadem caussa Patrum, qui ante Concilium Nicænum vixerant; *Tertia* iterum Sandii est, qua contra *Gardinerum* ἑστίν, in gratiam Ariatorum semel assumptam, pergit διαφυλάττειν. Sed hanc ultimam dicti Neo-Ariani epistolam in nominata supra *Valedictoria Responsione* refutat *Gardinerus*, ostendens Patres Ante-Nicænos dogmati Ariano minime favisse. Sub calcem Responsionis *Cingallum* (sub quo nomine Sandium latere arguit,) qui Goudæ anno M DC LXXVIII vulgaverat libellum, cui titulus: *Scriptura S. Trinitatis Revelatrix*; in quo, ut laudatus *Gardinerus* observat, ipse multos Scripturæ locos, qui SS. Trinitatis ὁμοουσίαν, coæternitatem & coæqualitatem validissime probant, unius vel alterius, recentis nonnunquam interpretis auctoritate nixus enervat, & dum contra Socinianos animose disputare videtur, Ariatorum argumentis prolixè satis propositis, brevissime, quasi aliud agens, & negligentius satisfacit. Id quod Theologus magni nominis, *D. Abraham Calovius* etiam in peculiari Dissertatione, Wittebergæ anno 1680 *de Scriptura sacra veteris Testamenti SS. Trinitatis revelatrici* proposita, & eidem *Cingallo* opposita, accurate & ex professo demonstravit.

Nn

JOH.

JOH. ADAMI OSLANDRI, S. THEOLOG. D.
*Cancellarii Universitatis & Præpositi Ecclesiæ Tubingensis, Theologia
 Casualis, in qua quæstiones dubiæ & casus conscientia circa cre-
 denda & agenda enucleantur. Pars sexta & ul-
 tima. Tubingæ Anno 1682. in 4.*

Conscientiæ casus, seu varia quæ in credendis agendisve, vel intel-
 lectum, vel voluntatem remorantur, & conscientiam perplexam
 reddunt, dubia extricare quantum interfit, cum celeberrimi nominis
 Theologus intelligeret, in id incubuit, ut post varia Theologiæ Ex-
 egeticæ, Didacticæ, Polemicæ, Homileticæ, & Moralis specimina, hanc
 etiam partem, quæ in religionis articulis & variis hominum actioni-
 bus hæsitantibus conscientiis consulit, peculiari Theologiæ Casualis
 systemate illustriorem redderet. In quo de conscientia ejusque nor-
 ma, scrutinio, & cura quatuor capitibus præfatus, ad speciales casus
 Theoreticos pariter & Practicos se accingit, eosque subjunctis ratio-
 num fundamentis, & remotis objectionum obstaculis, decedit. Divi-
 sum est integrum opus in sex partes, quarum ultima hoc ipso anno
 publicata eas quæstiones enodat, quæ de pace religionis, de simonia,
 de scandalo, de correptione delinquentium, de eleemosynis, & de no-
 vissimis hominum moveri solent. Nunc ejusdem Autoris in scri-
 bendis edendisque libris indefessi Commentarium in libros Samuelis
 & quatuor Evangelia, nec non Canones Apostolorum illustratos, Re-
 lationem omnium Conciliorum, Reflexiones Theologicas in Cartesi-
 anismum, & alia promissa monumenta expectamus.

RELATIO DIVERSORUM EXPERIMENTO-
*rum factorum cum Phosphoro, tam liquido, quam solido, a D.
 Fried. Slare, Reg. Soc. & Colleg. Med. Socio.*

Excerpta ex Collectionibus Philosophicis Anglicis,
 no. 3. A. 1681. 10. Decembr. p. 48.

Experimentorum præterita ætate coram Regia Societate exhibi-
 torum quædam cum Phosphoro liquido, quædam cum solido ce-
 rant peracta, quos inter quoad materiam nulla est differentia, cum u-
 terque ex substantiis seu materiis ab humano corpore desumptis præ-
 pare

paretur. Phosphorus ita paratus, in solida quidem forma, facile urere valet corpus: at liquori permixtus, & ita liquidum constituens, non urit; adeo ut foeminae etiam manus nulla uestione laedantur, imo ne calefiant quidem, etiamsi eas eodem abluerit. Experimentum hujus proxima septimana plurimum in praesentia factum, dum persona quaedam erudita, cum eodem & manus & faciem lavasset, tantam lucem faciei suae conciliavit, ut ejusdem coruscante splendore tres aut quatuor aliae personae, haud adeo procul distantes, illustratae ex facie cognosci potuerint: simulac vero candela conclavi illata fuit, splendor omnis disparuit, nec indicium ullius alterationis in earundem cute deprehendi potuit. Quod si exacte inclusus conservetur hic Phosphorus, non adeo diu lucet: quendam tamen observare contigit, 6 vel 7 successivis vicibus quasi coruscantem, in vitro etiam exacte clauso: unde hic idem videtur cum Phosphoro fulgurante D. Elsholtzii, cum coruscationes ejus ad fulguris similitudinem propius accedant.

Alter solidus Phosphorus haud differt materialiter a fluido, cum maximam partem ex urina elaboratus sit; persuasum tamen omnino habeo, quod pariter & ex sanguine praeparari queat, si aequae facile illius ac urinae copia obtineri posset, cum urina nonnisi serum sit sanguinis, per renes transcolatum. Sub praeparatione ejus, non solum secundum communem analysin, phlegma, spiritus, sal volatile, sulphur vel oleum, sed & alia extraordinaria Phaenomena se nobis exhibent, antequam singulare hoc productum prodeat. Phosphorus hic aequae peripicuus reddi potest, ac quodvis resinofum corpus, & ut instar cere in aqua calida liquecat. Frigidus perquam tenax est, & instar Lunae Corneae scissilis, vel potius hac adhuc durior: aqua coopertus lucere desinit, si vero quaedam ejus portio in aerem emergat, lucebit, etiam in vitro hermetice sigillato.

In amplo vitro asservatus, sine aqua, continue ad aliquot dies lucem sparsit, cum parva aut nulla vel lucis vel ponderis diminutione.

Quasdam solidi hujus Phosphori portiones aliis longe vividiores & inflammabiliores deprehendi. Praeterita aestate, cum experimenta quaedam circa hunc Phosphorum institueremus, quivis sine damno ullo tractare illum poterat, at quaedam tamen particulae vix calidae manus contactum, quin ignem conciperent, sustinebant. Pluri-

bus contigit hoc infortunii, quorum curiositas meis eum extorserat manibus, dum credere haud poterant, quod corpus adeo frigidum, sponte sua in ignem tantopere urentem transire posset. Experimenti gratia, in praesentia Nobilis, particulam hujus lucidæ substantiæ, duarum circiter drachmarum, seponebam, & tamen ignem concipiebat, absente etiam quavis candela, nobisque omnibus notabili intervallo ab eadem distantibus, & instar fascis lignorum deflagrabat, adurebatque mappam & mensam, cui imposita erat.

Cum Phosphoro non adeo igneo aut vivido scribebam vocabula pro lubitu in loco illuminato, & in loco tenebroso radiantes & lectu facillimi exhibebantur characteres, quasi essent verba radio quodam lucis scripta; idque durabat ita ad notabile tempus. Quod si literæ hæ igni admoveantur, donec incalescant, nigrescunt subito, eumque colorem tamdiu retinent, quamdiu alias bonum solet atramentum.

Perquam diffusiva est lux: nam supra centum characteres cum penicillo hoc illustri delineavi, & neque zomam ejus partem absumtam observavi. Similiter dimidium ejus granum, appetente nocte, manui meæ inducebam, quæ exinde tota quasi inaurata, & per integram noctem lucida reddebatur: appetente enim mane talem illam deprehendebam. Diffusiva ejus qualitas ex eo porro confirmatur, quod granum unum exactissime ponderatum, in aere libero per 7. l. 8. dies continue lucidam flammulam sparfit, adeo ut cum interdiu fenestras meas, qua spectant austrum, clauderem, continuo videre liceret sphaeram igneam, quæ attentius observata, flammulam candidam in aerem ambientem diffundebat, quod largior portio longe notabilius præstat. Consumeantur ita omnia, non relictis cineribus aliisve recrementis, præter paucam humiditatem saporis subacidi. Majorem vero ejus portionem ita deflagrare cum permisisset, copiosorem humiditatem, saporis instar debilioris spiritus sulphuris per campanam acquirebam. Id quod mihi in mentem revocat, plures meorum amicorum, viso hoc experimento, fumos istos vocasse sulphureos; ac sane in omnibus suis proprietatibus potius ad sulphur, quam salina concreta referendus videtur, tam ratione suæ inflammabilitatis, quam ratione solubilitatis in aqua.

Quantum ad Medicum usum conferre queat nobile hoc subiectum, tempus docebit, nec Vos morabor circa ea, quæ de hoc dicere possim.

possim. Hoc pro certo scio, quod eruditus *Willisus*, (modo adhuc viveret) cum gaudio visurus sit tale productum nostri corporis, qui confidenter admodum præsupponebat aliquid igneum, aut flammæ, aut igni saltem analogum, a quo incendatur & imprægnetur sanguis. Nec improbat talem hypothesein eruditus *Lovverus*, licet sanguinis incensionem in pulmonibus potius, quam corde fieri statuatur. Quibus aliis Naturæ Phænomenis explicandis inserviat, paulo specialius scire velim, quo & pertinet observatio Erudit. *D. Croon*, qui suum corpus indusio recenti & calefacto fricando, utrumque lucere facit: ut & ista Nobilis Bristoliensis, qui una cum filio mihi retulit, quod tibia sua post diurnam deambulationem, frequentius luceant.

CONTINUATIO PRÆDICTORUM EXPERI-

mentorum, ejusdem Autoris, ex Collectionibus Philosophicis Anglicis,

no. 4. A. 168 $\frac{1}{2}$. 10. Jan. pag. 48. excerpta.

Tentaturus vim elasticam substantiæ hujus luciferæ, ad inflammationem redactæ, sequens instituebam experimentum. Portionem ejus includebam exiguæ vitreæ phialæ, nucis myristicæ magnitudinis, (igne lampadis ad insignem tenuitatem redactæ, ut eo promptius ab elasticitate substantiæ in flammam expansæ affici posset;) hanc sigillatam hermetice, quo nec aer nec aliud quid citra illius fracturam posset erumpere, admovebam calori ignis, & juxta expectationem meam subito materiam contentam incendi flammæ sub forma observabam; & ita flammam emittere, ac integram quasi vitri capacitatem replere continuabat per breve temporis spatium, a quo extincta videbatur, citra vitri vel fracturam vel rupturam.

Pro cognoscendo melius residuo illo, in quod resolvitur materia adeo flammans, tale tentabam experimentum. Præparabam aliam parvam phialam, cum tubo nonnihil largiori in summitate aperto, ut hic fumarium loco igni in globo inferiori esse posset. Admovendo ergo materiam calori, eam, ut supra, inflammabam, & deprehendebam tam fumarium, quam superiorem globi partem obductam sulphure flavescere, quod utut ita sublimatum, haud tamen spoliatum erat proprietate sua lucente, quin ad leyem incalescentiam tota phiala splenderet,

deret & luceret. Ut experirer modum, quo in aere aperto deflagraret, incendebam portionem ejus, admovendo illam tantum calori ignis; & deprehendebam, quod instar frustuli Nitri combureretur, sed sine explosione, celerrime tantum deflagrando.

Observavi ulterius, quod relinquat materiam rubram tenuem, dum extinguitur, quæ non absimilis est ceræ rubræ, & adeo percipitur acida, ut dentes stupefaciat, ferrumque dissolvat.

Majus frustulum, exacte ponderatum, aeri ita expositum, diutius lucebat, antequam splendor plane extingueretur: examinata postmodum liquoris, in quem abierat, quantitate, non absque consternatione triplum ad minimum prioris ponderis reperiebam, qui nonnullis eum gustantibus spiritus sulphuris, aliis spiritus salis videbatur.

Tentabam experimentum Domini Præsidis, applicando quoddam ellychnium, an ita flamma ejus, ac lumen concentrari melius, & dirigi in certum objectum, mediante tali quadam Phosphori vel solidi vel fluidi applicatione, queat: nec tamen hæcenus convenientem perficiendi illud modum reperire licuit. Simul enim atque solidus in ignem actualem incenditur, subito seipsum ac ellychnium consumit: fluidus vero nullo modo incendi potest, etiamsi actualiter calefactus; & ita non poteram flammulam fursum in ellychnium adigere, nec viva satis est lux ejus, pro singulari quodam usu; licet ejus consistentiam liquidam solida utiliore existimem, pro subministranda luce. Cum enim partem vitri spherici amplioris, 5.46. unciarum circiter Diametri, fluido Phosphoro implevissem, deprehendebam integram vitri cavitatem supra liquorem ita radiis luminosis repletam, ut prompte majorem characterem juxta illos legere possem.

Cum universaliter jam concedatur, ignem & flammam pabulum suum ex aere capere, lubido incessit, examinandi subjectum hoc in vacuo. Pro quo scopo, considerabilem massulam ejus ponebam subter vitrum, quod affigebam machinæ aeri exhauriendo dicatæ, & remotis candelis, exacte observabam, quo luminis gradu luceret. Hinc subito embolum suctorium machinæ (ad Papinii modum elaboratæ) agitabam, ac deprehendebam, quod lucida magis redderetur, cum tamen carbo probe ignitus, ad primum suctum penitus extingueretur: post tertium & quartum suctum, qui bene exhauriebant vitrum, multum augmentabat suum lumen, & ita aucta splendebat luce, donec obser-

observando delassatus, aerem readmitterem, & phosphorum ad pristinum languidum luminis gradum redire observarem.

Cum tentarem per follium flatum ad incensionem illum perducere, putabam penitus me illum extinxisse, adeo diu mortuus quasi jacebat, antequam lucis quippiam appareret.

Omnes liquores apti nati sunt ad extinguendam lucem hanc, si subjectum illis immergatur: nec lucebit, nec inflammabitur, etiam si in liquoribus maxime inflammabilibus e. g. oleo olivarum, spiritu therebinthinæ, vel ipso etiam spiritu vini, ebullire illud permiseris.

OBSERVATIO MEDICA RARA, IN A-

pertura cadaveris cujusdam Epileptici, a Dn. Jac. Sponio, Medicina Doctore, ac Collegio Lugdunensi in Gallia aggregato communicata.

Dominus de L. --- Lugdunensis annos 42 natus vitam causariam jam ab annis duodecim agens, ultimoque tribus abhinc annis insultibus Epilepticis frequentissime correptus, simul hydrope pectoris, quo remediorum ope liberatus erat, tandem mensè Julio hujus anni 1682 ab hora 6 matut. ad meridianam usque, quinque aut sex vicibus vehementius solito concussus est, ἀφωv per illas sex horas & apoplecticus, ultimo insultui non resistens fato cessit. Aperto cadavere præsentibus medicis, chirurgoque subsignatis, hæc observata fuerunt.

1. Abdomen, hepar, lien, intestina insolitæ magnitudinis, ut edacibus, qualis erat, esse solet.
2. Stomachi constitutio satis naturalis.
3. Pulmones tumefacti, coloris obscuri ac fere lividi: quod afflicti ab hydrope pulmonis residuum erat.
4. Cerebri lateralis pars dextra inflammata.
5. In ventriculis cerebri sanguinis coagulati copia: ruptura scilicet vasorum sanguineorum a motibus convulsivis procurata, quæ apoplexiam & mortem intulit.
6. Pars major ramorum Jugularium internatum indurata & obstructa humore glutinoso exsiccato: hinc inde, forte in valvulis, corporibus quasi glandulosis venas magis attollentibus.

Hinc

Hinc ex ultima hac observatione, quæ oppido rara est, concludere licet, circulationem sanguinis hac in parte impeditam, regurgitasse in cerebrum sanguinem & lympham, quæ insultus illos Epilepticos pariebant: qui quidem insultus primo anno, ubi vasa leniter obstructa erant, leves fuerunt, ut sensibus non privaretur æger, sensimque fortius obstructis, graviores etiam fuerunt. Quæ quidem Epilepsiæ causa, etsi non unica, frequentissima tamen videtur esse, cum pueris & pituitosis, ut ait Hippocrates, & confirmat experientia, sæpius quam aliis accidat. At ii glutinosis humoribus abundant, has obstructiones accersentibus. Cæterum divino Hippocrati non incognita causa hæc fuit, cum ait libro de flatibus *Epilepsiam fieri, cum obstructiones multis modis circa venas contingunt, & sanguinis motus prohibetur: atque hic quidem sistitur, ibi tardius permeat, alibi autem citius: ex qua sanguinis per corpus transitus inequalitate, varia etiam inequalitates contingunt.*

Subsignati.

Andreas Falconet Exconsul & Decanus Collegii Medicorum Lugd.

Antonius Marquis Aggregatus eidem Collegio.

Chataigner Chirurgus, qui penes se habet venas illas e cadavere exemptas.

ABREGÉ DES OBSERVATIONS ET des reflexions sur la Comete 1680 & 1681, présentée au Roy par Mr. Casini. a Paris 1681. in 4.

Epitome observationum & considerationum super
Cometa 1680 & 1681, Regi exhibita,
Parisiis, 1681 in 4.

IN istac Synopsi constitutum est *Clarissimo Authori*, juxta hypothese-
sin æternitatis Cometarum ostendere, Cometam hunc eundem cen-
seri posse, qui anno seculi lapsi 77mo fulsit. Recensitis autem brevi-
ter, quæ circa phænomena præsentis notari in hanc rem merentur, &
instituta inter utrumque comparatione, peculiari Theoria, prolixo
Schemate exhibita, sententiam suam exponit & firmat, Cometæque
hujus phænomena ad causas suas strictim revocat.

Atque

Atque ut tanto magis sua sibi constet Hypothesis, Cometam a præcedente mensis Novembris distinguit: quod diversus iis fuerit cursus, orbitæque plus triginta gradibus ab invicem declinantes; Hoc in Austrum, post sectam in Libra Eclipticam; Illo per Sagittarium, in Boream deflectente; exemplo hucusque non obvio, ut idem Cometa, locis adeo vicinis Eclipticam bis interfecisset: quod motu prioris, usque ad occasum heliacum, continue decrescente, posterior ab ortu heliaco motum intenderit; vicissitudine hæcenus in nullo Cometarum observata: quod juxta Theoriam suam, æqualem utrique motum tribuentem, primus suum super circumferentia, cujus centrum in Ariete, conficiat, centro alterius in Leone constituto; ipsoque tum in Sagittario sub Sole abscondito, cum prior in Virgine comparere inciperet.

E phænomenis Cometæ præcipue notat: I. binam ejus cum Sole conjunctionem: primam d. Nov. 26, alteram d. 19. Januarii; illic Solis, hic Cometæ motu citatiore: utramque intra spatium unius Signi, rarissimo exemplo, contingentem. II. æqualitatem motus Cometicæ & Solaris prope conjunctionem ferme eclipticam: iis qui ex effluviis Solaribus Cometæ produci asserunt, patrocinantem. III. motus, magnitudinis apparentis, & longitudinis Caudæ continuum augmentum, ad usque d. 4 Januarii, Cometa tum ad Perigeum devoluto; singulorum abhinc continuum ad disparitionem usque d. circiter 20 Martii decrementum: claritate Luminis juxta rationem elongationis a Sole in dies imminuta. IV. caudam, ab opposito Solis versus occidentem, plagamque motui suo proprio adversam, a prima apparitione magis in dies magisque, tanquam ab altero latere premeretur, incurvatam.

Attendendo vero, cui forte, e prægressis olim Cometis, proximi quadrarent: tres nuperos, annorum 1665, 1672, 1677, cum ultra seculari anni 1577 ita conspirasse comperit, tanquam tractus, ab Hoc olim coeptus, per eas constellationes, quæ Eidem adhuc percurrendæ erant, illis continuandus fuisset: differentia non majori, ac Planetæ ad eadem loca, circulo exacto, revolvuntur.

Hunc Cometæ anni 1577 tractum, tantopere Cometis frequentatum, & ea propter *Zodiacum Cometarum* Autori dictum, ut primum Cometam posterum tenere deprehendit, deinceps servaturum non temere Regi Galliarum prædixit; eventu utique non abnuente; cum eadem utrique via per Arcum Sagittarii, Genu manumque orientalem Antinoi, Os Equulei, & Pectus Pegasi, fuerit.



Dispa

Disparem porro Cometæ anno 1577 & 1681, per eadem Signa, motus celeritatem, Perigeo mobili (quippe anno 1577 in Sagittario, anno 1681 in Aquario constituto) tribuit: unde idem, anno 1577 a Perigeo demum suo e radiis Solaribus se explicans, motu continue, ut magnitudine apparenti, decreverit; anno 1680 vero rediens, & ad Perigeum complusculis diebus tendens, longiorem viam in conspectu nostro, intensiori motu, per Andromedam sc. Piscem Borealem, Triangulum, pedem meridionalem Persei, supraque caput Tauri, fuerit emensus.

Utcunque autem in iisdem signis diversus olim atque nunc motus iste fuerit, parem tamen illi utrinque rationem celeritatis per dies 68 continuos, illic a 13 Nov. 1577; hinc 9 Jan. 1681, quantaunque parte temporis hujus utrobique comparata, constituisse, conformitate non minori atque in Planetis solet, sustinet: ita ut differentia hinc inde paucorum minorum, longe minor sit ea, quam diversa a Sole distantia (æqualis illi, quæ eodem comparationis momento, Cometæ anno 1577 & 1681 fuit) in Planetarum revolutionibus causatur. Ex qua denique similitudine, quæ unice argumentum præbeat, cur v. c. Mercurius, olim hodieque revertens, unus idemque Planeta debeat censeri utrumque pro eodem, qui exactis, sive una, s. pluribus revolutionibus reversus sit, agnosci posse; ad minimum sibi sufficere pronunciat, in utroque adnotasse, quod uni minime irregularium Planetarum, nunquam duobus diversis, sicutum sit contingere.

Distanciam Cometæ a Terra, *Autor* vario experimento, Lunari longe majorem evidentem deduxisse contentus est: cui in majus semper, indice continuo magnitudinis apparentis decremento, auctæ non solum, sed & debilitati luminis, Cometæ disparitionem tribuit; cum ipse nudis oculis jam invisus, tubis adhuc Jove major, & instar nebule subalbidæ, compareret, demumque post 18 Martii, aere a Luna, Jove & Venere nimis illustrato, penitus evanesceret.

Caudam, quam Cometis accidentalem cum coma facit, sive subtilis capitis exhalatio sit, conditione talium exhalationum; sive materia, lumen per ætherem dispansum frangere, perque Atmosphæram Cometæ reflectere apta, cessare, & ex intervallo redire posse statuit.

Adornanda suæ Hypothesi duo supponit: I. Possè Cometam per plures revolutiones visui nostro abscondi. Idq; mirum non videri de-

bere, exemplo Mercurii, pluribus revolutionibus inconspicui: Fixæ in collo Ceti, per septem octove menses latentis; diutius etiam, si solitæ apparitionis tempus incidat prope conjunctionem ejus cum Sole: Satellitis tertii Saturnini, ab ipsomet *Autore* anno 1672 detecti, per quamque suam revolutionem 80 dierum, integro mense invisibilis.

II. Cometas verosimiliter non magis ordinato simplici que motu incedere, quam Planetas; qui scilicet ad eundem Zodiaci locum inæqualibus temporibus revertantur.

Hæc tamen conditio nihil confert representando reditui Cometæ anni 1577 ad annum 1681, observationibus utrobique habitis conformi, quippe quem *Autor* per æqualem motum exhibet beneficio Theoriæ, circuli Terræ eccentrici, Lunæ orbem involventis. Juxta hanc, distantia Cometæ a centro suo undecupla sesquiquarta est distantia ejus minimæ a Terra: secundum quam rationem motum diurnum Cometæ ex centro proprio spectatum, ad motum apparentem in Perigeo 4 gr. 30 min. determinat 24 min. 5 secund. 14 tert; apparente motu a Perigeo, juxta rationem augmenti distantia a Terra, & radii visivi, ad circuli Cometici circumferentiam obliquati, dietim eo modo decrescente, quo cum anno 1577, tum nuper anno 1681 observatus est: excepta pauxilla variatione latitudinis, tum maxime sensibili, cum nudis amplius oculis Cometa non cerneretur. Perigeum vero, anno 1577 in 14 gr. Sagittarii constitutum, *Autor* 6 sec. 30 tert. secundum; Nodumque Boreum tum in ejusdem signi gr. 20, 25 sec. contra seriem signorum dietim promovet: Latitudine anno 1577 maxima 29 gr. 15 min. quæ anno 1681 fuerat 28 gr. 20 min.

Ex hac denique æqualitate motus, nullam a variata distantia a Sole, variationem passa, inque aliis etiam Cometis, hac methodo examinandis, obvia, minime necessarium judicat, vel cum *Tychone* ad compositum, ex Cometæ proprio & Solis; vel cum *Dn. Hevelio* ad Telluris motum confugere: indicium vero sumi posse, eos non circa Solem, lege cæterorum Planetarum, quorum motus, pro sua ab illo distantia, intendatur remittaturve, moveri; cum trium mensium intervallo vicissitudinem inde sensui perceptibilem nuperus non sit passus: Eisdem adeo speciem Planetarum peculiarem, quorum motus a diverso, ac reliquorum, pendeat principio, constituere.

DE COMETARUM NATURA ET ORTU
epistolica Dissertatio, ad Clarissimum Abbatem Fran-
ciscum Nazarium, Autore Dominico Gulielmino, M.D. Bononiensi.

Bononiæ M D C L X X I, in fol.

ET huic scripto occasionem Cometa anni, quo editum est, dedit: in quo Autor circa hanc materiam ea libanda sibi sumsit, quæ ab hujus Cometæ observationibus, vel confirmata, vel rejecta, vel noviter suppeditata sibi sunt visa. Unde recensitis Philosophorum veterum recentiorumque cogitatis, plurimis etiam tanquam minus animo satisfaciendis rejectis, ipsum Cometam, ut Capite, Crinibus & Cauda spectandum se præbuit, describit, & Propositiones ex phænomenis ejusdem probabiliter deductas, Hypothesi suæ, sequentes præstruit: sc. materiam Capitis non unius conditionis, Capillitii vero Caudæque eandem naturam: Caudam, quomodocunque tandem, Solari radio deberi: Caput sphericum, saltem ad sensum, esse: Capillitii & Caudæ materiam esse aliquam diaphanam; nuclei vero probabiliter ex opaca coagmentata: materiam denique hanc non elementarem, sed cœlestem; ex se quidem lumine proprio destitutam, nec alienum reflectentem, variationi tamen cuidam obnoxiam, cujus causa opacitatem apta sit quandam induere; ad quod sibi sufficiat concedi diversas, & magnitudinis & figuræ moleculas cœlesti materię innatare, ex quarum unione & forti miscela lumini transitus præcludatur.

Facto posthæc ad cogitata sua, quæ pro meris hypotheticis se venditare modestè admodum profitetur, gradu: de Solis vertigine, & Macularum motu comperta, quæ circumpositam materiam quamcunque, ipsosque adeo Planetas, secum rapiat; de particulari motu turbinacionis, Planetas singulos in oppositam vertigini illi partem trahente, Vorticibusque Planetarum differens, materiam duorum Vorticum commistam, quod facile in Synodo Planetarum concipi possit, ob oppositum illorum motum, in tertium abire Vorticem, generationi Cometarum idoneum, posse, Fig. I. sic illustrat:

TAB. XIV. Supponit v. gr. Saturni Vorticem ABCD, Jovis AFCE, ipsis, in eadem cum Sole linea, maxime sibi propinquis; quo casu occurrentium Fig. I. Vorticum materia miscetur, & portio utrique communis fiat ABCE. Vorticibus enim proprio motu ab Occidente in Orientem, videlicet

Fig: 4.




Fig: 2





fig: 1



EAndre-Sohn. Sc: Lips:



lice
 dela
 rion
 tu
 cert
 at n
 am
 imp
 mo
 amp
 utri
 line
 teri
 Vor
 huj
 detn
 jam
 qua
 nio,
 ne,
 bita
 deb
 huic
 natu
 sin n
 ra, f
 ne, n
 relic
 ther
 usqu
 part
 tem
 axer
 inde
 aut n

licet ab A per C in D & denuo in A; & ab E per F in A, & rursus in E delatis, manifestum esse, partem ABC superioris, & partem AFC inferioris Vorticis opposito sibi motu occurrere. Quod si jam concipiatur, materiam Vorticis Saturnini penetrare in A Vorticem Jovialem, certum esse, fore, ut ea, nullo obnitente, per circulum ABC procedat; at motu secundi Vorticis ab F versus A impellente, fieri, ut infra lineam ABC per aliam AIK deprimatur, donec in H, quo loco diminuto impetu, quo ad plagam N tendebat (tum quod Vorticis superioris motus sursum vergere incipiat, tum vincente inferioris motu) non amplius in C, sed versus F retrocedat, supra lineam tamen HRI, unitis utriusque Vorticis lationibus ad superiora vergentibus; ideoque per lineam HXS, unde porro per SVT &c. donec in Y, centro motus, materia recolligatur: ubi, velut in hypomochlio, æquilibratis utriusque Vorticis momentis minima sit motio, & veluti quies. Quoniam vero hujusmodi Vorticibus proprium sit, crassiorem materiam ad centrum detrudere, quod in typhonibus & fluentorum gurgitibus compareat; jam liquere, unde materiæ cœlestis coagmentationem a motu, tanquam efficiente Cometarum causa, excitatam petat. Quæ quidem unio, ab impetu Vorticum communicato sustentata, pro hujus conditione, Cometarum corpora jam tamdiu faciat observabilia, quamdiu debita a nobis distantia permittat; jam diffluente, ob motus Vorticis sui debilitatem materia, & ipsa soluta, Cometæ diametrum physice, quod huic ipsi contigisse conjicit, imminuat. Crassiorem porro materiam, si natura sua opaca sit, nucleum opacum citra dubium posse constituere; sin minus, particulas ejus, dummodo variæ sint magnitudinis & figuræ, fortuito occurso sibi applicatas, unione sui, inordinata concretione, motuque circulari vehementissimo, transitum lumini intercipere; reliquum vero crassioris materiæ prope nucleum fluido innatans ætheri, comam efficere, non omnimode opacam, sed nec pellucidam usquequaque; ita ut radii illustrantes partim refracti ulterius tendant, partim reflexi ad nos remittantur.

Nucleum vero per opacitatem suam radios Solares terminantem (quod in Cometa observavit) mirum non esse, nigricantem Caudæ axem, sui sc. Umbram, post se trahere. Ipsi autem Caudæ materiam ex indefinita cœlorū capacitate depromit; nulla ad motum propensione aut resistantia præditam, eoque sequentem, quo vicinior rapiat impetore;

Fig. II.

atque ideo ad majorem etiam, ac Cometæ hujus ingens alioquin cauda exigat, distantiam Vorticis alicujus diametrum posse extendi. Quomodo vero etiam, citra materiæ reflectentis tam immanem copiam, Caudæ Cometicæ longitudo salvari possit, Fig. II. beneficio ita explicat. Sit A Sol, a quo impetus lucis globulis in ADE existentibus imprimatur, quorum motus ab A ad D directe progrediens, ad oculum in F situm pervenire nequeat: at occurrente in D corpore DC, aspero & inæquali (capite Cometæ) evenire fortassis, ut globuli inter D & E motum circulare circa proprium axem (exemplo pilarum lusoriarum reticulo oblique; incurrentiū) concipiant, atque sic versus F impulsæ, eundem oculo imprimant, ut luminis per DE trajectio eidem appareat; ea tamen proportione, ut evanescente in partibus E proximioribus vertiginis motu, splendor in E debilior, quam in D, percipiatur.

Porro, cum juxta hanc Hypothesin ex Fig. I, Cometarum genesis ad Synodos Planetarum referatur, Autor in suffragium ejus tum Astrologos, tum quosdam Mathematicos, tum ipsam Historiam Cometarum, anni 1582, 1596, 1618, 1652, 1664 pluriumque, advocat; non dubitans, ex curiosa Ephemeridum cœlestium indagine, de antiquioribus etiam Cometis circa conjunctiones Planetarum exortis, constiturum: rationes etiam subnectendo, cur neque quorumvis Planetarum concursibus Cometæ fulserint; alii etiam eos anteverterint, alii insecuti sint; neque omnes etiam ad hanc causam ipse revocet.

Fig. III.
& IV.

Circa lineam motus, Autor rectam præfert, quod Cometæ a maximæ velocitatis puncto quadrantem nunquam excedant: de principio vero motus hujus, ejusque ratione, Fig. III & IV interprete, sic disserit: Supponantur Vortices AMS, BCN uniti, ex quorum unione factus fuerit vortex IDH; necesse esse, ut ex mutuo occursum illorum duorum Vorticum materia unius alteri contranitur, ita ut ex forti compressione materia ab M versus A, & ab N versus B deprimatur, impellente contrarii Vorticis impetu: hinc esse, ut in statu violento detenta, nixum se restituendi ad pristinam expansionem concipiat. Posito jam Vorticem inferiorem a conjunctione defluere, & a superioribus nexibus solvi, ita ut locum mutet a B in C, secumque trahat Vorticem IDH in LEF, ubi primo supponatur ab oppressione superioris Vorticis liberari; ibi, cum materia CF, prius arcte compressa, nihil desuper contranitens habeat, nixum suum exerere expansivum, & velut arcum

arcum ab intensione laxatum, Vorticem FEL per lineam LG projicere. Posse a dictum Vorticem & alia ratione motum concipere, si a velocissimo partium extimarum Vorticis impetu per unam ex illius Tangentibus vibretur. Ex hujus vero lineæ ad axem opticum inclinatione diversa oriri phænomena: si enim Fig. IV ab oculo ad exortum lineæ L ducta linea angulum rectum cum LG efficiat, aut versus G obtusum; motum Cometæ initio majorem, semper decrefcere visum iri: si vero angulus in L versus G acutus fuerit, quantitatem apparentem motus diurni primo parvam, in dies incrementum suscepturam, usque ad Perigeum R, ex quo perpendicularis cadat in oculum T; unde versus G progrediendo, a velocitate motus sensim remissurus sit Cometa, donec in G stationarius evadat.

Locum Cometæ longe supra Solem tribuit duobus argumentis, I. quod necesse fuerit, radios Solares aut pone caput Cometæ uniri, deinde scoparum in morem dissolvi; aut incidentes comæ divergere: prius falsitatis exinde argui, quod toto apparitionis tempore caudæ laterales extremæ lineæ nunquam visæ sint in duos angulos ad verticem inclinari: posterius vero contingere non potuisse, nisi corpus Cometæ Solari sat majus fuerit: cum ergo apparens ejus magnitudo Solari fuerit minor; eandem per majorem distantiam debere compensari, Cometamque tanto altius supra Solem evehi. II. quod Cometæ nucleus, a prima apparitione usque ad finem, circularis figuræ apparuerit, æqualiter ab omni parte illuminatæ; unde cum opacum esse ex projecta umbra probaverit, necesse esse eundem cæterorum corporum a Sole illuminatorum leges secutum fuisse: Hinc, cum inferiores Sole Planetæ in ortu & occasu heliaco falcati; superiores vero quocunque cæli loco, & ad Solem respectu, disciformes appareant; Cometa vero horum potius quam illorum imitatus sit phases: convenire etiam, ut communi cum his sede collocetur.

NOVUS COMETA,

*a 16. Augusti, st. vet. Anni 1682 Lipsiæ
videri captus.*

ADhuc, dum Virorum Clarissimorum de nupero Cometa cogitata Orbi Erudito exponimus, en! novum nobis de cælo fulgentem qui, ut plerosque hominum nunc in admirationem sui rapit; ita dubio procul perspicaciora ad profundam contemplationem excitaturus est ingenia. Quorum præclaris meditatis, seu

seu Actis referendis, dum se nobis det occasio, non incongruum interea visum est, quæ citra Instrumentorum debitum apparatus, locoque ejusmodi Observationibus minime accommo, notata sunt, breviter & bona fide recensuisse: ex aliorum accuratiori indagine petituris, quid, quantumque nostræ defuerit.

Postquam de viso per vesperam, d. 16 Aug. noctemque, novo Cometa, altero mane rumor increbuit: intentis in Cœlum d. 17 Aug. oculis, a Solis occasu mature satis fuit deprehensus: Hora decima cum stellis Ursæ majoris Bayerianis (quas deinceps usurpabimus) ϵ & δ ; ψ item, & λ rectam constituens lineam.

D. 18 Aug. mane H. II da, Cauda Cometæ præter ν & κ ad dextram spectatoris tendebatur, duplo, quod est inter has stellas, intervallo: θ & 34ta Ursæ Tab. Rudolfinarum; κ item & 33ta Rudolf. cum Cometa in recta constitutis. Long. Com. $4\frac{1}{4}$ gr. Leonis; Lat. $24\frac{1}{2}$ gr. Borea, utcunque æstimatis.

D. 19 Hor. III. λ & 32da Rudolfinarum; μ item & 34ta Rudolf. in una recta cum Com. visæ, indicio erant, Cometam intra diem supra 5 gr. in orbita propria confecisse, jamque in $10\frac{1}{2}$ gr. Leonis, cum Lat. 25 gr. versari.

Vesperis dimidia decima, rectæ per χ & ψ ; item α & λ ductæ se mutuo in Cometa interfecabant.

D. 20 H. IX, γ , μ ; δ item & γ cum Cometa rectam constituebant; eo triplo longius a μ , atque ipsa stella μ a λ , distante.

D. 21 Hora IX, Cometæ sui diametro a recta per ν & 24dam Rudolf. ducta verticem versus declinabat; paulo plus a ν , quam ν ab ξ distans. Cauda transibat per α , ultra aliquantum ex porrecta, ejusque extremæ latitudo major erat diametro Lunari. Caput Venerem æquabat. Long. $29\frac{1}{3}$ gr. Leonis; Lat. 26 gr.

D. 22 & 23, quo posteriore Soli junctum æstimavimus, cœlo vesperi nubilo latuit, utriusque diei mane adhuc, sed postremo visus.

D. 24 vesperi per dehiscentes subinde nubes visi locus non potuit notari: nisi quod per comam Berenices æstimatus sit incedere.

D. 29 cœlo interea nubilo, Hora IXna, verticalis per Arcturum ducta Cometam notabiliter ad dextram relinquebat; qui cum δ & lucida Jordanis supra comam Berenices in una recta erat, & ab Arcturo $13\frac{1}{2}$ gr. distabat. Ex quo, aliisque circumstantiis Long. conjiciebatur in 14 gr. Libræ, cum lat. $18\frac{1}{2}$ gr.

D. 30 eodem tempore, Cometa a verticali per Arcturum pauxillo ad sinistram deviabat: ϵ & α Bootis, rectam cum Com. constituiebant. Ex captis Quadrante pedali altitudinibus, Cometæ distantia ab Arcturo erat 14 gr. fere; motus diurnus 3 gr; Long. 17 gr. Libræ; Laticudo $17\frac{1}{2}$ gr. Cauda tendebat ad ζ Bootis, cum aliqua ad ∞ declinatione.

D. 21 Aug. quantum per nubes licuit conjicere, ab hæterno loco $2\frac{1}{2}$ gr. aberat: motu a 22 Aug. quo 7 gradus Cometæ confecit, continue decrescente.

Cursum ejus, uno velut intuitu, in Globo Horizontis arcus, ab interfectione meridiani borea occasum versus designat, elevato ad 47 gradus Polo, adductoque ad meridianum Aquarii principio.

Caudæ directio, nobis perpetuo ab opposito Solis, aliquoties ultra 20 gradus, declinabat: Nodum vero S.S.S. diem duabus tertiis unius gradus promeum, ex observationibus nostris qualibuscunque deduximus.